



2b. 15



RECTOR

ACADEMIÆ VITÆ

DRINÆ

CYRIACUS

HERDESIANUS,

J.V.D.& Pandect. Profefs. Publ.

Ad luctuosi funeris exsequias,

quas

Ornatissimo & modestissimo

Juveni

ANDRÆ RODE ELBINGEN-

si Borusso

Paratas cupiunt

Sympatriotæ & familiares,

Omnes Reip. literariæ Cives amicæ &
humaniter invitant.

ANNO

M. DC. XXII.

TRIPIS

FRIDERICI HARTMANNI,

Bibliopola,





Ulam circa præfens anni tempus Natura
benefica indulgere mortalibus solet foecun-
dissimam amœnitatem, & amœnissimam
foecunditatem, eam tot jam apud nos por-
tenta conturbarunt, & tam luctuosam no-
bis ac lamentabilem effecerunt: ut in his
cogitandis nemo, nisi forte corneas circa pectus fibras ha-
beat sibi possit, opinor, satisfacere. Sive enim tempestatum,
quas experti sumus, atrocitatem & violentiam, sive causa-
rum cœlestium vim, sive judiciorum, quæ de his tum à sapi-
entibus, tum à vulgo feruntur, varietatem, sive deniq; pro-
digiorum ejusmodi ancipitem significationem attendere,
ac nobiscum expendere cupimus; haud scio, an suarum quis-
quam meditationum summam subducere, & in justum cer-
tumq; ordinem calculos institutæ computationis cogere
queat. Solenne est multis, susq; deq; habere ea, quæ ante pe-
des sunt, & oculis obversantur: sola scilicet peregrina, longè
remota & ignota hos capiunt; quamvis utrum verè ita facta
sint, sæpè fide nutent, atque adeò aliis quidem ludibrium
debeant: cum supra fidem multa sæpè narrari contingat: a-
lios autem sola admiratione contentos dimittant. At no-
stra, quæ horrorem simul & stuporem nobis incusserunt, ur-
gentiora sunt: quàm quæ taceri velint, & vetustioribus lon-
geq; remotis antehaberi. Ecquis enim non miretur, trium
horarum spatio nōdum plenè exacto (quod diebus abhinc
quadraginta & septem factum est) tantam hortorum, vinea-
rum, molendinorum & ædium suburbanarum stragem &
cladem edi potuisse: ut nulla prior ætas tale quicquam in his
præsertim locis, ubi propter fluminis latissimè sese diffun-
dentis propinquitatem, & regionis declivitatem aquis plu-
vialibus etiam rapidissimis liber ingressus in Viadrum pa-
tet, factum esse recordetur: neq; quisquam est, cui consimi-
lis

lis calamitatis vestigia ulla prius apud nos animadversa
sint. Colles per immensos hiatus dissecti & disjecti: revulsa
cum radicibus arbores robustissimæ & altissimæ, ac torren-
tis impetu aliò avectæ; quodque mirum dictu nec facilè cre-
dibile est, in alienum arvom satis longè dissitum destitutæ
& quasi depactæ, non secus, ac si à primis usque radicibus
inde è terrâ ac natali suo solo emerissent, inque suam ibi
altitudinem per consueta ætatis incrementa evasissent. In-
gentes lapidum solidorum moles, quibus movendis decem
robusti viri vix sufficiunt, sola undarum rapiditate ultra
trecentos passus translati sunt; idemque factum saxi qui-
busdam molaribus, & murorum lateritiorum fragmentis:
ut tantam pluvialibus aquis tam brevi tempore collectis
vim inesse potuisse assentiatur nemo, nisi qui labem ruina-
rum, & prodigiosa hæc spectacula suis ipse oculis usurpâ-
rit. Quid memorem stagnorum eluviones, & rupturas
piscinarum, quas nonnullis in locis ita complevit aggesta
ex sabulo terra, ut pede sicco pertranseantur, & quæ rece-
ptacula piscium hæctenus erant, aliquando prata fore & ar-
mentis servitura credantur? Taceo an fractus viarum publi-
carum, arenarum conglomerationes, & cellarum subterra-
nearum, in quibus alimenta per æstatem necessaria asser-
vantur damna: cùm partim aquis partim arenis obruta;
submersa & corrupta fuisse quàm plurima dolentes exper-
ti simus. Nec satis erat cœlum sæva grandine inhorrescere,
& apertis ejus veluti catarractis imbres densissimos effun-
di: passim quoque concretis glacie globulis intermixti
grumi sulphurei spargebantur: quorum aliquos non parvæ
quantitatis nobiscum adhuc asservamus, tanti prodigii te-
stes futuros. Equum erat, ut his furoris divini documentis
perculsi omnes animum in melius mutarent, & tantarum

cladium peregrinitate atque atrocitate condocefacti, consilia sua ad fidei & charitatis verè Christianæ officia inflecterent. Verùm antiquum obtinentes plerique vel casui talia securè transscribunt, vel in syderum nescio quas infestitas posituras, & Saturni ac Lunæ coitionem, quos Planetas humorum atque frigoris nutritios esse volunt, referunt: alii monetariam pravitatem accusant, & stellionum illorum avaritiam atque impudentiam: qui hirudinum instar omnem nobis succum & sanguinem exhauriunt, pauperibus vitam & spiritum elidunt, viduas & pupillos devorant, & sacros præsertim redditus, Ministrorumque Ecclesiæ stipendia ita exinaniunt atque attenuant: ut vix quinta, octava vel etiam decima eorum pars in antiquæ sanctionis vigorem convertatur & perveniat. Sunt qui antiquas *Porphyrii, Celsi* & *Empæctarum* veterum nœnias imitantes, culpam omnem cladium & calamitatum tantarum conferunt in quosdam Evangelicæ veritatis cultores, quibus orthodoxæ doctrinæ plenior lux affulsit. Isti quamvis in caliginoso & cœnoso Polyphemi Romanensis antro sordescere mālint, quàm Christi, Apostolorum & Sanctorum Patrum vestigia premere: tamen innoxii haberi cupiunt, & in calumniam rapiunt, quæ divino beneficio deputanda erant. Utinam *secum habitarent, & nōssent, quàm parva sanctitatis propria suppellex sibi domi sit reliqua!* Contra istorum autem calumnias & maligna opprobria *Athenagoras* in *Apologia* pro Christianis, & *Tertullianus*, *Origenes* item & *Arnobius* cum *Lactantio*, aliaque Ecclesiæ priscae gloriosa lumina jam olim arma sua expeditaverunt, victoriamque splendidam reportarunt: quorum trophæa cum in conspectu eruditorum omnium sint, nihil attinet in hujus programmatis angustias cogere, & quæ fusiore stylo edisseri volunt, ipsa brevitate enervare.

Interea

Interea dum nos, uti diximus, de tempestate præterit & philosophamur, & alii alios respectantes in hæc, ista, illa, alia publici infortunii argumenta cogitationes sermones, que nostros intendimus, ecce aliud cœlitus immissum prodigium, non jam arvis & vineis infestum, sed ipsis hominibus exitiosum; quod in Pentecostales ferias incidit. Dies nunc est quintus, cum de more (sed malo, & è Rebus pub. Christianorum merito exterminando) in publicâ lætitiâ relaxandi animi fomenta & variarum delectationum nutrimenta quærebantur, exspaciantibus multis extra portam Gubenensem, ad spectanda ludicra illa, quæ Sagittariorum exercitio anniversario celebrantur, solennia, inque ædibus quibusdam voluptariis, quæ illi loco vicinæ prospectum amœnissimum præbent, animi gratiâ commorantibus. Accidit, ut cœlum nigresceret, & pluviarum vim maximam minitaretur: tum aliqui ex Studiosis imbrium vitandorum causa eò quoque concedunt: quòd ob conciliatam cum Domino adiutam amicitiam, & ob mensæ præsertim convictum contractam pridem notitiam liberum sibi aditum illuc patere scirent. Hos inter honestissimus & doctissimus juvenis *DN. ANDREAS RODE ELBINGENSIS BORUSSUS*, unâ ædes ingressus, mensæ assidet, & sereniorum cœli faciem exspectans de reditu in Urbem maturando cum sociis fabulatur. Sed

In tonuere poli, & crebris micat ignibus æther.
Ipse cum mali præfagientis nullum antea vel minimum edidisset indicium, expavit quidem ad collisiones nubium, & fragores tonitruï: præsertim quòd ingenti sonitu semel atque iterum tota domus contremisceret: in eo tamen ubi confederat loco fixus hæsit, unâ cum parvulâ quadam undecenni, quæ & ipsa eum juxtâ locum forte fortunâ sortita fuerat.

fuerat. Mox vehementiore adhuc impetu concussum coelum è nubium insolito horribilique conflictu, quem fulgura & fragores testabantur, ardorem noxium exprimit, fulmenque in domum dictam ejaculatur: quod illapsum tetrum omne subito perforat, tigna & tabulata perfringit, & ad conclave ipsum, in quod illi convenerant, penetrans, Dominum Rhode cum parvula illa sibi assidente ex templo enecat, tres alios graviter lædit, vulnerat atque ita amburit, ut se ab exitio quam proximè abfuisse fateantur, comprobentque illud Plinii, ubi dicit; *Unum animal hominem non semper extinguere fulmen, cetera ilico.* Casus certè miserabilis & admodum lugendus! de quo si multa commentari, & curiosa aliorum judicia sequi velimus, verendum est, ne Scriptura sancta nobis aurè vellat, occinatq; illud: *Tu quis es, qui iudicas servum alienum? Judicia Dei abyssus multa. Quæ occulta sunt, apud Deum nostrum occulta sunt.* Certi tamen simus, nihil hinc temere & casu contigisse, sed divinæ justitiæ & futurarum calamitatum hæc esse præfagia ac monitoria: per quæ nos omnes, Senes juxta & Juvenes, Matronæ & Virgines, adulti atque infantes, ex loco verè superiore concionantem audimus ipsum Deum, nosque increpantem, quod veræ pietatis curam nullam habeamus, quod in omnem licentiam diffluamus, quod segnes ad pœnitentiam & vitæ emendationem simus. Demus ergo gloriam Deo: nec putemus, *illos decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloam, & quos trucidavit, debitores fuisse præ omnibus hominibus, qui Hierosolymis habitabant. Nequaquam, (inquit Salvator) imò nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis.* Cæterum quod ad doctissimi Juvenis D. N. ANDRÆ RODE tam insperato mortis genere extincti natales vitamque totam attinet, natus ille est Elbingæ Borussorum, Anno supra sesquimillesimum centesimo,

limo, Patre Viro honoratissimo atque integerrimo Domi-
no Andrea Rode, Cive Elbingensi primario, Matre Hennin-
giâ, Filiâ spectabilis, amplissimi & prudentissimi Viri Do-
mini Nicolai Henningii Senatoris Reip. Elbingensis. Ho-
rum talium virtute ac monitis ad veram pietatem, ingenu-
am modestiam, solidamque doctrinam inde usque ab incu-
nabulis adsuëfactus ille primum in Gymnasio patrio, post
in Thoruniensi majora subinde profectuum laudabilium
spacia confecit: uti fidem faciunt honorificæ, quas à Præce-
ptoribus, obtinuit de diligentia, fide, probitate ac modestia
sua testificationes. Peragravit quoque Poloniam, ut ejus
linguæ cognitionem & usum sibi compararet, & de Paren-
tum voluntate ac jussu Kotzkoviæ biennium inte-
grum exegit, ac dehinc Belziciis, ubi tum in Minore Polo-
niâ gymnasium percelebre aperiëbatur, in alterum usque
annum substitit, tandemque ad uberiores ingenii cultus
consequendos in hanc Academiam anno proximè superio-
re venit: in quâ ita se gessit: ut verè testari possint, qui cum
noverunt, & in collegiis privatis, (quibus ob studium juri-
dicum, cui sese addixerat, operam navavit non pœniten-
dam) ejus indolem atque ingenii vires periclitati sunt, ni-
hil ejus laudibus defuisse: ut qui veram erga Deum pietatem,
in moribus singularem sævitatem, in tota vita continentiam
insignem, & in studiis haud vulgarem diligentiam præ-
se ferret: quæ omnia minimè ficta fuisse aut simulata, con-
stans ejus in omni conversatione moderatio abundè decla-
ravit, atque ipsa evicit simulationis natura, quippe quæ, ut
Cyprianus ait, *diu fallere non potest*. De eo quoque id prædi-
cant cõmilitones & sympatriotæ, quod neminem unquam
vel factò vel verbo læserit: sed leni ac miti ingenio cum es-
set, in se potius amorè eorum, quibus cum versabatur, pro-
vocârit,

vocârit, eosdemque, prout poterat, omni officiorum genere sibi devinxerit. Non dubitamus ergo, eum, qui sic vixit, beatè in Domino obdormivisse: cum mala mors esse non possit, utut repentina, utut in speciem horrenda, quam pia vita præcessit. Vestrum est, ô Juvenes, ad hæc Dei judicia cōtremiscere, & considerare, *quid bonum sit, & quid Dominus requirat à vobis, nempe facere justitiam, amare benignitatem, & sollicitè ambulare cum Deo vestra: ut est apud Micheam, capite lecto.* Agite ergo, symphatiam vestram in hodierna funeris deductione, quæ ex ædibus fiet Gesnerianis, erga defunctum commilitonem vestrum, uti par est, declarate: & non tam memoriæ infixam, quam conscientiæ vestræ insculptam semper vobiscum circumgestate contestationem illam SAPIENTIS, qua Ecclesiasten suum clausit, his verbis expressam: *Latere juvenis in juventà tua, & exhilaret te animus tuus diebus iuventutis tue: deniq; perge in viis animi tui, & aspectibus oculorum tuorum: sed cognosce fore, ut propter omnia hæc adducat te Deus ipse in iudicium. Amove ergo indignationem ab animo tuo, & averte malum à carne tuâ.* **SUMMA EST; omnibus auditis: DEUM IPSUM REVERERE, ET PRÆCEPTA EJUS OBSERVA: QUIA HOC EST TOTUM HOMINIS.** Nam omne opus Deus ipse adducet in iudicium, cum omni re occulta, sive bonum, sive malum. Hæc Sapiens. Pp. XVI, Junii An. 1622.

G. F. D.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

Von 7

MC







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

19.

OR
 I Æ V I A
 Æ
ACUS
 ANUS,
 Profefs. Publ.
s exsequias,
 modestissimo
ELBINGEN-
 o
 piunt
 amiliares,
 e Cives amicè &
 ivitat.
XXII.
 RTMANNI,

